carnifinam mittit. Ibi tamen suos praeclara Virtus fulgo-
res inter sputa, sacrilegasq; Sacerdotum Voces contraxit,
et quodam silentij quasi obducto Velo, lucem cohibuit,
arbitrata facinus, si ab illius incoestis oculis aspiceretur.
Mitto hic AA. spectr. à deterrimo tyranno iniuriam
irrogatam Numini, dum illam Sapientiae Regiam amentiae
insignibus illusit. mitto paulo post apud Pilatum Sacerdotu
renouatos iterum, auctosq; clamores, quibus innocentis
Vitam ad crucis necem exposcunt. quibus Caesaris nomen
Iudici tremendum reddere conantur. quibus eiusdem
Iudicis de Christo liberando sententiae efferatis animis
obsistunt. mitto post habitum DEVM scelestissimo grassato-
ri, ac totius Hebraeae Gentis calamitati. mitto denique
tanta iniuriae Vltionem ab Hebraeis in se, suisq; liberis
Vltro susceptam. Illud illud dicam, quo nihil dici potest, fin-
giq; scelestius. Ferus ille Vel in ipsa clementia Iudex vt
Innocentis sanguinis sitim in Hebraeorum animis aestu-
antem eiusdem Innocentis sanguinis alluuie restingueret
Christum per singularem clementiam tamquam Vile quod-
dam mancipium flagellis addicit, et hoc non ad no-
centis poenam, sed ad commiserationem Innocentis.
O immanissimam clementiam. quid iratus aget,
si misericors crudescit adeo? quo procedet impietas,
si pietas hoc imperat? quid denique facient, qui

Lizenz: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 10v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/de/zbz/D0147/10v)